Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



21.

Gollius de veríl. Rel. Chr. Tom. I, tr. 7, c. 10. Plura pro identitate Mariæ Magdalenæ peccatricis, sororis Lazari, et unctricis: adi Acta SS. ad 22 Jul. ubi Sollerius fuse ac solide communem hanc universæ Ecclesiæ sententiam contra paucos Criticos recentes stabilit ac communit.

24) Joan. XIX, 33–34. Exivit sanguis et aqua, non successive, sed simul; sic tamen, ut sanguis ab aqua discerni posset. Vulnus infictum esse lateri dextro, traditio est antiquissima: idemque fuit grande, ut Thomas manum ei posset immittere, Joan. XX, 27. Fluxum sanguinis fuisse miraculosum, eo quod in corpore mortuo sanguis statim congeletur, nec fluere possit; docent Ambrosius in Luc. XXIII, aliique. Vid. Cornelius in Joan. XIX. ~~Magis controversa sunt, quæ de milite latus aperiente, et de exercitio remanentia S. sanguinis~~ Militem, qui latus aperuit, Longinum nominat Auctor Manualis, quod Augustino tribuitur, Augustino suppar, c. 23: Longinus aperuit mihi latus Christi ~~Lat~~ lancea; et ego intravi, et ibi requiescere feci me. Martyrologium Romanum ad Idus Martii: Cæsareæ in Cappadocia passio sancti Longini militis, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur. Item Beda, Usuardus aliique ad eundem diem. Porro hunc Longinum militem divum esse a centurione, qui Christo moriente exclamavit: Vere filius Dei erat iste! atque hunc illum in Cappadocia insula Mantua vicina martyrio coronatum esse, satis probabiliter ostendit Cl. P. Augustinus Haag in Sang. Chr. vindicato.

25) Metaphrastes apud Surium ad 15 Augusti: Quomodo sustinuit videns inimicos, qui ne post mortem quidem adhuc erant reconciliati filio; sed eadem adhuc in eum spirabant, et gladio ejus latus confodiebant? Sed hæc quidem divinum narrat Evangelium. Cuntur autem hæc quoque a linguis, quæ plurimi dicunt veritatem; quod, cum hæc nova et admiranda percepta essent oculis Dei parae, et post mortem spirante ac si viveret, ex ejus latere aqua et sanguis haurieri; illa eum quidem hauriri reverenter ac diligenter.

26) Chronicon Martianum apud Aug. Haag: Longinus hastam, seu virgam aurifodinis idoneam, vel hamum pelago immisisset, e vivi templi, corporis Christi latere ubertim manantes sanguinis et